



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Humilitas eius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

contenderint. Persuasit ante omnia eis Canisius, ut liberos suos ab Hæreticorum gymnasiis reuocarent, nec posthac ad ea mitti paterentur, in quibus non tam literas, quam peruicaciam, & impietatem ediscerent. Protinus in principe templo conciones sacras exorsus est, & proximis octo cōtinuauit annis.

Quo ex loco publicum quasi spectaculum proponens sapientiæ, modestiæque Christianæ, haud magno negotio ad optima quævis religioso per se se, bonoq; ingenio populū commouebat. Ita præparatis ciuium animis adfuit anno vertente societatis per Germaniam Visitator Oliuerius Manaræus, deq; Collegij condendi ratione cum Senatu transegit, D E O mire propitio, & fauente cœptis.

Anno proximo, qui seculi alter, & octogesimus erat, Collegium inchoatum scholis literarū publicatis per autumnū, lætissima Ciuitate. Tum Canisius vbi victis demū difficultatibus primis iustam familiam adesse vidit, supplex à Præposito Generali (Claudi⁹ Aquauia is erat Euerardi successor) contendit, ut se præfecturæ munere liberaret. Optimus senex ad id vnum excusatione, ac beneficio vtebatur ætatis, ut subiectus omnibus,

*Concionatur:
Eg Collegij res
adornat.*

1581.

1582.

Humilitas eius

q 3

ab

ab alieno totus nutu penderet. Cui Claudius in
hæc verba rescripsit. Spéro iam aduenisse, qui Re-
uerentiam Vestrā ista gubernationis cura, de qua
dudum dolebat, alleuarit: vt iam se totam proxi-
morum saluti promouendæ possit impendere.
Quam ad rem confido sanè non solum talenta,
quæ à Deo accepit, verùm etiam opinionem, &
autoritatem, quam per ciudem gratiam in Ciui-
tate ista, vt audiui, hoc toto tempore sibi compa-
rauit, plurimo ei adiumento fore. Hæc scripsit de
eius autoritate Claudius: quoniam auxerat viri
præsentia existimationem, & ad aurium fidem
experimentum accesserat oculorum. Ut quem-
admodum Sammaritani olim in Christo Domi-
no, similiter in famulo Friburgenses possent pro-
fiteri eius se autoritati multum tribuere, non iam
propter alienam testificationem, sed propter per-
specta sibi, & cognita merita. Et Canisius illa vtes
animorum inclinatione ad ipsorum met æternas
commoditates, quo acrius furebant circumposi-
ti corruptores, hoc magis ad intercludendos iis a-
ditus vigil, effecit, vt cuncta Respublica in fidei
Catholicæ professionem iuraret, ingenti ciujum
consensione, dicto apud Magistratum sacramen-

*Autoritas
apud Fribur-
genses.*

10.

